



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

vnsern Brieff doch vns vorbehalten vnser Landgericht gerichte vnd in allen andern Sachen vns an vnser Fürstenthumb Gerechtigkeiten vnd Heiligkeiten vnengolten vnd an schaden/ vnd gebieten darauff allen vnsern Rentmeistern/ Landschreibern/ Pflegern/ Richtern/ Wautnern/ Ambtleuten vnd allen andern vnsern Vnderthanen vnd getrewen gegenbürtigen vnd künfftigen ernstlich vnd vestiglich dz jr sie bey solchen ihren Gnaden Freyheiten vnd bestättungen vngeirret beleiben lasset vnd keinen tranck daran thut/ als lieb ew sey vnser Vngenad vnd ferrere straffen zuuermeiden. Zu Vbrkunt geben wir ihn den Brieff mit vnserm anhangenden Innsigel versigelt zu Landtschuet am Sambstag vor Martini Anno Domini &c. im fünffzigsten.

SEON siue SEVN.

EST aliud Monasterium Sein in valle Sein Prouinciae Treuirensis conditum ab Hainrico, Comite de Sein, sub confirmatione Iohannis Archiepiscopi Treueren. Extat diploma de Anno 1202.

Hoc nostrum Monasterium, Seon siue Seuum vel Seuuen, ordin. S. Benedicti secundum vetera diplomata &c. fundatum est ab Arbone Comite Damastiano ac Andecen. qui in Bauarica Norica, non procul à Chiemensis lacu, Burgilum Castellum suum in templum vertit, D. Lamperto dedicat, traditque Benedictinis Monachis. Incolæ à lacubus, qui ibi sunt frequentes, vocant, Socum. Hainricus sanctus, hoc & alia Monasteria largiter locupletat, extant diplomata, Auent, fol. 508. 692.

VLRICVS Abbas Seunensis cum Conuentu elegerunt Ludouicum, Pal. Rhein. Ducem Bauariæ in Aduocatum & protectorem suum, vigore priuilegiorum suorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt post illius obitum siue pater siue alij ipsius proximiagnati eandem Aduocatiã irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem concederent. Monasterium, eius priuilegia & iura defenderent. Extat Latinum diploma, cuius datum in obsidione castri Hademarsperg, an. 1247. Testes, Luizmanus Wernherus de Laber, Hademarus de Laber, Siuridus de Frovvenberch, Siuridus de Frovvenhouen, Siuridus prob. Afinus, germanicè frumb Esel/ Vlricus de Mosen, Hainricus de Ysolzried, Diethericus Pincerna de Ode, Ortholphus de Laimingen, Arnoldus de Prifingen, Vlricus de Wildenvvart, & alij complures.

Idem Ludouicus Dux dedit Monasterio priuilegium exemptionis à teloneo in Ratenberch, ratione vini, olei, casei & reliquorum victualium, dans illi curiam suam in Ahrain: è contra Abbas dedit Duci aliqua sua iura cæterorum fundorum in vicò Rufstein, & intra fossatum Ratinberch. Acta sunt hæc apud Chufstein: Testes Albero nobilis de Pruckberg, Magister D. Præposit^o in Illmünster, H. de Isolzried, Vlricus de Mosen, Conradus, Pählar, Vlricus de Fuisperch, & C. filius ipsius. B. Prandelinus, & alij, Anno 1257.

ADDITIONES.

Antiquitatem huius loci, Romanis olim non incogniti testantur quatuor vetusta monumenta ibidem reperta, & hætenus eo, quo parerat studio, conseruata; que hic exhibere volui.

I.

BEDAIO-AVG. ET ALVONIS
SACR.

C. CATIVS SECVNDIANVS II. VIR.
IMP. ANTONIN. II. ET SACERDOTE
COS.

II.

CN. TREBONIO FIRMO ET
VAL. IANTVMARE.

C. TREBONIVS, FAVSTVS DVVM VIR VM
ES PRÆF. ID CIVITATIS A QVONT. PAREN-
TIB. OPTIM. ET SIBI ET TREBONIE MAXIM.
ET EXORATE CONIVGI. FEC.

III.

I. O. ND. D.

C. RESTITVTVS RESTITVTIANVS
GIEGEI IVLIA HONORATA
CONIVX EIVS.

V. S. L. L. M.

IV.

FVSCIA. PROCVLI FILIA.
SECVNDA. OBIT. ANN. XXX.
H. S. E. HEREDES PVDENTI
MATRI FECERVNT.

Silvester Episcopus, servus servorum Dei. Si loca vel Monasteria religioſis
personis ac Deo devotis constructa nostro pontificali corroborare ac subli-
mare conamur, hoc proculdubio ad utriusque beatitudinis præmium nobis
profuturum fore confidimus. Quapropter novèrit omnium sancta Dei Eccle-
sia fidelium, tam præsentium quam futurorum industria, qualiter *Aeribo* Co-
mes, pro animæ suæ remedio suorumque parentum in quodam suæ proprietatis
loco olim *Burgili* vocato, sed modo ab incolis *Sevva* Cella *S. Lamperti* marty-
ris dicta, Monast. in honorè eiusdem *S. martyris Lamperti* amplissimo benigni-
tatis conamine construxit, ad augmentandum suæ salutis præmium, ex auctori-
tate *S. Petri* principis Apostolorum libertatis arbitrio corroboratum fieri postula-
vit. Igitur ex hac re gloriosissimi Imperatoris Augusti *Otonis* tertij piis interve-
tionibus nostra apostolica auctoritas persuasa, præfato *S. Lamperti* Monasterio
per huius privilegij seriem, liberum habere concessit arbitrium, ut Monachis
Deo inibi servientibus liceat secundum regulare *S. Benedicti* Abbatis decretum
eligere sibi Abbatem. Insuper etiam placuit auctoritati nostræ Ecclesie ut præ-
libarus conservator Monasterij aduocatione utatur, quam diu superstes est. Sed
post ipsius decessum potenter eligat sibi Abbas cum fratrib. aduocatum, quem-
cumque utiliorè comprobauerint. Et ut absq; omni iugo & contradictione cuiuscumque
personæ cuncta loca urbana vel rustica, diuersa prædia, culta vel inculta, cum om-
nibus

Vid. in Ad-
versar. hi-
stor. Buzom.

nibus eorum appendiciis quæ ab aliquibus Christianis concessa sunt vel concedentur, cum omni securitate quietus possideat, atque disponat, & post eum vniuersi successores sui abbates in perpetuum. Quapropter ratione ipsum sæpe prælibatum monasteriū per defensionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ libertate nostri priuilegij confirmamus, vt neque nos, neque vlli nostrorum successorum Pontificum, seu quilibet Imperator aut Rex vendendi siue præstandi in beneficium, vel tradendi habeat potestatem. Et nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, siue aliqua persona audeat inquietare vel molestare, siue de rebus suis aliquid sine voluntate Abbatis sibi vsurpare. Et sub respectu testimonioque concessæ libertatis, sub honore XII. Apostolorum XII. denarij ad limina Apostolorum *Petri & Pauli* omni anno deferantur. Et si omni anno præsentari impossibile fuerit, infra spacium duodecim annorum persoluantur. Et pro viuo Romano Pontifice ad Missam omni die collecta fiat, vna similiter pro defunctis. Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra huius nostræ Apostolicæ confirmationis seriem, venire agere temptauerit, sciat se Domini nostri Apostolorum principis *Petri* anathematis vinculo innodatū, & cum Diabolo & eius atrocissimis pompis, atque cum Iuda traditore Domini & saluatoris nostri *IESU CHRISTI* in æternum ignem concremandum, similiter & in voraginem tartaream dimissus cum impiis deficiat. Admodum notum sit omnibus Christi fidelibus, quod si hoc præceptum meum non potuerit ista stabilitate (quod absit) æternaliter permanere, mox absque vniuersorum contradictione rectorum ista Abbatia sub præfata ingenuitatis honore redeat liberaliter in proprietatem proximo hæredi de prædicti Comitis *Aerbonis* genere, ea lege, vt nec ipse propriè vtatur, sed fidelis sit conseruator, donec iterum clementer habeatur, sicut alix liberales Abbatia regali tuitione prouidenda. Qui vero custos & conseruator huius nostri priuilegij extiterit, benedictionis gratiam & vitam æternam à Domino consequatur, Amen.

Scriptum per manus Dñi *Petri* Notarij & scriniarij S. R. E. Datum XIV. Calen. Maij, anno Dominicæ incarnationis 1499. Indiæ XII.

Innoentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio *Gunthero* Abbati Monasterij Sancti *Lamperti* martyris, quod sitū est in *Saltzburgensi* Episcopatu, eiusque successoribus regulariter subsistentibus in perpetuum, Apostolicæ sedis clementiæ conuenit, omnibus eius suffragium implorantibus maternæ affectionis patrocinium exhibere. Sicut autem ex scriptis beatæ memoriæ *Siluestri* Papæ nostræ prædecessoris agnouimus, *Aeribo* quondam Comes pro animæ suæ remedio suorumque parentum in quodā loco suæ proprietatis, quod olim *Burgili* vocabatur, nunc autem ab incolis *Serua* dicitur, monasterium in honore S. *Lamperti* martyris pro sua deuotione construxit, atque ad suæ salutis ac præmij cumulum, interuentu gloriosæ memoriæ *Otonis* tertij Imperatoris Augusti, eundem locum beato *Petro* oblatum Apostolico priuilegio fecit roborari. Nos igitur ipsius vestigiis inhærentes, tuis dilecte in Domino fili *Gunthere* Abbas postulationibus impertimur assensum, ipsumque monasterium S. *Lamperti* præsentis priuilegij pagina communimus. Statuentes vt quas cunque possessiones, quas cunque bona in præsentiarum iuste & canonicè possider, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, seu aliis rationabilibus modis Deo propitio poterit adipisci, firmatibi tuisque successoribus permaneant. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum successorū quolibet, nulli, ubi qualibet surreptionis astutia vel

violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel fratrium pars cõ-
 filij sanioris, secundum Dei timorem, & B. *Benedicti* regulam sibi præesse pro-
 uiderint. Adiciamus etiam vt aduocatum eiusdem Monasterij nulli liceat vsur-
 pare, sed potius pro vestro arbitrio personam idoneam vobis in aduocatum li-
 bere eligatis. Qui etiam si inutilis Monasterio vestro fuerit, absque alicuius cõ-
 traditione eum amouendi, & loco eius alium subrogandi licentiam habeatis.
 Decernimus ergo vt nulli liceat Ecclesiasticæ seculariue personæ præfatam,
 Monasterium super hac nostra confirmatione ac concessione temerè pertur-
 bare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu alijs qui-
 buslibet molestus fatigare, sed omnia eis integrè conferuentur, pro quorum
 gubernatione ac sustentatione concessa sunt omnimodis vsibus profutura. Ad
 iudicium vero huius perceptæ à *Romana* Ecclesia libertatis XII. écnarios nobis
 nostrisque successoribus annualiter persoluetis. Iuxta institutionem quoque
 iam dicti prædecessoris nostri, pro *Romano* Pontifice, qui pro tempore fuerit,
 omni die ad Missam vna collecta fiat, similiter & pro defunctis. Sancimus insu-
 per vt nemini fratrum vestrorum post factam in eodem Monasterio professio-
 nem, absque licentia prælati sui ad alium locum liceat transmigrare. Quod si
 discesserit, & canonicè commonitus redire contempserit, facultatem nihilo-
 minus habeatis eundem à diuinis officiis interdicerè, interdictum verò nullus
 Episcoporum vel Abbatum suscipere audeat vel retinere. Si quis sanè in poste-
 rum hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire ten-
 tauerit, secundò tertioque commonitus, si non satisfactioe congrua emenda-
 uerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio
 existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo corpore ac sangui-
 ne Domini nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo iudicio districtæ
 ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ sua jura seruantibus, sit pax
 Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant,
 & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum in
Lateran. per manû *Heinrici* Diac. Cardinalis & Cancellarij S. R. E. III. Idus Apr.
 Indiçt. II. Dominicæ incarnationis anno 1134. Pontificatus Dn. *Innocentij* Papæ
 anno decimo.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Otto* superna fauente gratia *Roma-
 norum* Imperator Augustus. Si quid ad augmentum Dei laudis prouidemus,
 & sibi seruientibus satisfaciendo consulimus, vtriusque felicitatis lucrum nos
 inde promereri, & Imperij nostri statum feliciter solidari proculdubio credi-
 mus. Proinde notum sit vniuersis fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque
 futuris, qualiter nos ob interuentum *Heinrici* nostri consanguinei dilecti Ducis
Boiariorum & Arbonis Comitis quondam locum quendam *Burgili*, sed modo
 cella S. *Lantperti* ac *Xeuua* nuncupatum, in securitatis nostræ jus & mundibur-
 dium suscepimus, eo tenore, vt nomine & honore ac dignitate liberalis Abba-
 tiæ idiplum Monasterium in prædicto loco ex præfati Comitis *Arbonis* proprie-
 tate, sub honore præscripti beatissimi Dei martyris *Lantperti* constructum, de
 nostræ Imperatorie concessionis præcepto donatum sit, ac deinceps habeatur,
 sicut aliæ Abbatie liberales, per prædecessorum nostrorum, Regum scilicet &
 Imperatorũ præcepta ac priuilegia sub ingenuitatis arbitrio sibi corroborate,
 atque eidem Monasterio omnes curtes, proprietates, prædia, & vniuersa loca
 addita, vel à Christi fidelibus addenda, per huius nostri præcepti paginam con-
 firmamus, scilicet cum omnibus eorum vtensilibus, arcis, ædificiis, vtriusq;
 sexus mancipiis, cæterisque appendiciis, quæ adhuc dici, inueniri, aut nomi-
 nari

nari possunt. Tali stabilitatis ordine, vt *Adalbertus* venerabilis Abbas sui que successores, qui in eodem Monasterio præesse venturi sunt ad vtilitatem fratrum ibidem secundum regulam S. BENEDICTI degentium, eadem teneant, disponant, & cum totius tranquillitatis securitate possideant, nostra Imperiali, nostrorumque successorum ac omnium mortalium contradictione & diminutione remota. Monachis quoque inibi regulariter commorantibus liberam arbitrii potestatem secundum regulare decretum B. *Benedicti* Abbatis sibi Abbatem eligendi concedimus. Insuper etiam Aduocatatum quemcunque comprobauerint vtiliter cum voluntate Abbatis super eundem locum ipso aduocante *Arbone* ac placitante vsq; finem vitæ suæ constituendum habeant fas atq; licentiã. Præcipientes itaq; ac destinantes firmiter decreuimus, vt nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, seu aliqua maior minorue nostri Imperij persona, ex prælibati Monasterij rebus aliquid sibi vendicare, aut in proprium, aut in beneficium vlllo ingenio, seu aliquam publicam functionem exigere præsumat sine consensu Abbatis, sed sibi sibiq; infra vel extrã subiectis, sine omni molestatione, siue rerum suarum inuastione securè liceat viuere, & Deo pro nobis mente inconfusa supplicare. Si quis autem (quod non credimus nec liceat) hoc nostrum præceptum in aliquo violauerit, sciat se nostrum Bannum dupliciter compositurum, medietatem Camerae nostræ, & mediam prædicto Monasterio, resq; inique ablatas velit, nolite reddat, & dupliciter soluat. Et vt hæc nostræ corroboracionis pagina stabilis perseueret, hanc manu propria corroborauimus, & sigillare iussimus.

Datum 17. Calen. Maij, Anno Domini cæ incarnationis 1499. Indiæ. 12. anno tertij *Otonis* regnantis 16. Imperij tertio, actum *Romæ*.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Chunradus* diuina fauente clementiarex. Nouerit omnium Christi nostrorumque fidelium vniuersitas, qualiter nos ob interuentum ac petitionem dilectæ coniugis nostræ *Gisla* videlicet reginæ, & *Aribonis Moguntina* sedis venerabilis Archiepiscopi quandam aream in latitudine sex porcus, in longitudine duodecim habentem, cum omnibus ad eandem pertinentibus ædificiis, viis & inuis, exitibus & redditibus, quæ sitis & inquirendis, seu cum omni vtilitate, quæ vlllo modo inde provenire poterit, sitam in loco *Ratisbonensi* in pago *Teuonichgovvi*, in comitatu *Ruotperti* ab antecessori nostro *Heinrico* Romanorum Imperatore Aug. Monasterio *Seuwe* dicto, in honore S. *Lanperti* constructo traditam, *Gaminolfo* præfati Monasterij prouisorum confirmamus, atque corroboramus eo scilicet tenore, vt prædictus *Gaminolfus*, sui que successores liberam dehinc habeant potestatem commutandi, tradendi, vel quidquid sibi placuerit inde faciendi, ad vsuram tamen eiusdem Ecclesiæ. Et vt hæc nostræ confirmationis auctoritas stabilis & inconuulsa omni permãeat æuo, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Chun-



radi Regis inuictissimi.

Vdalricus

Vdelricus Cancellarius vice *Aribonis* Archicapellani recognoui. Datum 16 Calen. Martij, Indict. 8. Anno Dominicæ incarnat. M. XXVI. Anno autem Domini *Chunradi* regen. 2. actum *Augustæ*.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Eberhardus* per Dei misericordiam *Salzburgenſis* Ecclesiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, omnibus Ecclesiæ filiis salutem in perpetuum. Memores verbi cuiusdam ſapientis qui ait: Quodcunque poteſt manus tua facere, iſtanter operare; Intelligimus nos non ſolum teneri proſpicere ad ea, quæ ſpeſtant ad perpetuam ſalutem animarum, verum etiam non negligere illa, quæ reſpiciunt ad temporalem Ecclesiæ nobis commiſſæ vtilitatem & decorem. Familiaritate igitur Domini *Philippi* regis *Romanorum* & ſemper *Auguſti* adepti. Monasterium quod *Seroven* dicitur à manu ipſius, accedente conſilio & aſſenſu multorum Principum eo tempore ſecum commorantium perpetua donatione regia liberalitate cum omni iure, quo imperio atinebat Ecclesiæ *Salzburgenſi* traditum ſuſcepimus. Vnde attendentes illud Euangelicum, quod tibi fieri non vis, alii ne feceris; providentes etiam temporis futuri pericula, ſtatuimus cum communi conſilio & conſuetudine fratrum noſtrorum Canonicorum & Miniſterialium, vt eidem Monasterio priuilegia, libertates, aduocaturum iuſtiticæ, & omnia iura à fundatoribus ſiue Imperatoribus vel aliis principibus hætenus tradita, à nobis & ſucceſſoribus noſtris inconuulſa permaneant; ita videlicet, vt Abbas plenariam habeat poteſtatem adminiſtrandi feoda antiqua & legitima vaſallis, & miniſterialibus inſtituendi, & fidelitates ab eis recipiendi, Officiales ordinandi, & in Eccleſiis, in fundis Monasterij ſitis jus præſentandi, cum conſilio tamen ſenioris partis capituli hæc fieri volumus. Capitulum habeat libertatem vacante Abbacia Abbatem idoneum eligendi, miniſteriales & totam familiam antiquo iure, & à fundatoribus tradito vti deinceps concedimus. Et vt hæc noſtra inſtitutio in futura tempora illibata permaneat, hanc paginam inde conſcriptam ſigillo noſtro juſſimus inſigniri.

Ego *Eberhardus Salzburgenſis* Eccleſiæ Archiepiſ. ſubſcribo.

Ego *Wernhardus* eiſdem Eccleſiæ Præpoſitus, ſſ.

Ego *Albertus Kimenſis* Præpoſitus eiſdem loci Canonicus ſſ.

Ego *Werinherus* cultos ſſ. Ego *Ortolphus* ſſ.

Ego *Ruodgerus* ſſ. Ego *Henricus* ſſ. Ego *Berchtoldus* ſſ.

Ego *Wolkmarus* ſſ. Ego *Dietmarus* ſſ.

Ego *Gottſchalcius* ſſ. Ego *Otto* ſſ. Ego *Hartnidus* ſſ.

Ego *Cunradus* ſſ. Ego *Henricus* ſſ. Ego *Tiemo* ſſ.

Ego *Hartfridus* ſſ. Ego *Otto* ſſ. Ego *Hermannus* ſſ.

Ego *Rudgerus* ſſ. Ego *Hartuovicus* ſſ. Ego *Wilhelmus* ſſ.

Ego *Cunradus* ſſ. Ego *Sigehardus* ſſ.

TESTES etiam huius rei ſunt *Rapoto* Comes de *Chreiburch*, *Chunradus* Comes de *Pleigens*, *Eberhardus* Comes de *Dornberch*, *Wernhardus* de *Hagenouwe*, *Chunradus* de *Walben*. Ex miniſterialibus verò Eccleſiæ *Salzburg*. *Sigbotto* de *Surberch*, *Conradus* caſtellanus de *Salzburg*, *Chuno* caſtellanus de *Wernen*, *Chunradus* caſtellanus de *Mildorff*, *Vdelricus* & frater eiſus *Chunradus* de *Chalkeim*, *Eckhardus* de *Tanne*, *Chunradus* de *Grabenſtat*, *Liupoldus* & frater eiſus *Henricus* de *Walde*, *Rudgerus* & frater eiſus *Gerloch*, *Marquardus* & frater eiſus *Gerhoch* de *Berchaim*, & alij quatuor plures.

Actum

Actum in ciuitate nostra *Salzburck*, Ann. incarnat. Dominicæ 1202. Indi-
dict. 4. pontif. verò nostrian. 2.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Eberhardus* Dei gratia *Salzbur-*
gensis Archiepiscop. Ap. Sed. Legatus in perpetuum. Cum transcursus tem-
porum à memoria hominum acta plerumque expellat, obliuionis malo so-
lers antiquorum prudentia scripturæ remedium adinuenit; sicque fiunt noti-
tiæ posterorum recentia multa gesta, quæ aliàs contra à recordatione prio-
rum fortasse delessent vetustas. Proinde præsentì scripto patere volumus tam
præsentibus quàm futuris; quod cum ex morte Comitis *Bernhardi de Liubeno-*
uue ad nos esset aduocata *Seuvenensis* Monasterij deuoluta, cum eadem domus
ex abusu potestatis iniuste per aduocatum suum conquereretur frequenter se
graues iniurias & damna grandia sustinerè; nos quoque pro libertate Eccle-
siarum pacifica & quiete pronam, imò & sollicitam intentionem gerentes,
sed & super hoc Apostolica ammonitione astricti, de Capituli & familiæ no-
stræ consilio & consensu aduocatiàm ipsam potestati nostræ duximus reser-
uandam. Ius quod aduocatiæ nomine Aduocatis hætenus præbebatùr, iu-
stis duntaxat visibus percepturi, ac si manibus super altare *B. Ruberti* coram
positis dictam Aduocatiàm sic affiximus Ecclesiæ, pro nobis & nostris suc-
cessoribus promittentes, vt alienandi aduocatiàm eandem ab Ecclesia non
habeamus in perpetuum potestatem. Ne autem hæc prædicta vel à nobis, vel
à successoribus nostris in posterum infringi valeant, seu quomodolibet mo-
do immutari, præsens instrumentum super hoc confectum, quo omnis
præsumptionis temeritas & dubium elidatur, nostro & Capituli nostri sigillis
mandauimus insigniri. Testes hi sunt, *Rogerus Kimensis* Episcopus, *Simon*
Abbas *S. Petri*, *Henricus de Berthersgaden*, *Engelbertus de Hegelwverde* Præpo-
situs. *Wernherus* Comes de *Tierstain*, *Hermannus* Sacerdos. Magister *Vlricus*,
Guntherus, Capellani, *Chunradus de Kalheim*, *Gerhobus de Percheim*, *Ottmarus de*
Etcheim, *Henricus Vicedominus*, *Vlricus de Wisbach*, *Heinricus de Vcelingen*, *Rikke-*
rus de Sledorff, *Vlricus & Waltherus* Comites de *Mallentin*, & alij quamplures.
Idem per nos & successores nostros volumus & statuimus custodiri, vt si aduo-
cacia quæcunque ab antiquo alicui in feudata vacare inceperit, ab Ecclesia no-
stra similiter alienari per nos & successores nostros non possit. Quicumq; igitur
temerariè præsumperit contraire, iram omnipotentis, nisi resipuerit, se nouerit
incursum. Acta sunt hæc *Salzburgæ*, Data & conscripta per manum Ma-
gistri *Heinrici* Notarij nostri, mandantibus nobis, Anno ab incarnatione Domi-
ni 1229. Indiçt. secunda. 6. Calen. Maij.

IN nomine Domini Amen. *Ludewicus* Dei gratia Comes Palatinus *Rhent*,
Dux Bauaria, vniuersis præsentem paginam inspecturis salutem. Cum ob re-
uerentiam Dei omnipotentis Ecclesias in suo nomine fundatas fouere, quan-
tum possumus, debeamus, specialius tamen eas pio fauore prosequimur, quæ
nobis attinet jure speciali. Quoniam igitur Ecclesia in *Seuven* ex donatione facta
per Dominum *Vlricum* venerabilem abbatem eiusdè loci, qui de cõsensu & vo-
luntate totius Conuentus aduocatiàm eius Ecclesiæ nobis cõtulit pleno jure, cum
ipsi gratia sedis Apostolicæ ac Imperiali Privilegio roborati, liberâ habeant eli-
gendi aduocatu (quæ voluerint) potestati nobis specialiter attinerè dinoscitur,
eandè in nostrâ recepimus gratiã specialè, eam sub nostræ defensionis brachio
gaudere volentes. Firmiter enim promittimus, & tenore præsentium præficemur, qd
præfatam Ecclesiam ac omnes sibi attinentes in rebus & personis manutene-
re
pro

pro viribus ac defendere teneamur; hoc adiecto, vt nullam habeamus potestatem antedictam aduocatum dandi vel cōcedendi vel ad man⁹ alienas quoquo modo de nostris manibus conferendi. Quod si fecerimus, præfatæ aduocatiæ donatio nobis facta per Abbatem & Conuentum Ecclesiæ memoratæ, careat omni robore firmitatis, & ipsi iuxta formam priuilegij sui plenam habeant potestatem alium aduocatum quem voluerint eligendi: volumus enim, vt jus antiquum præfatæ Ecclesiæ in omnibus conseruetur illæsum. Vt autem præmissa omnia robur obtineant firmitatis, præsentem paginam inde conscribi, & sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in obsidione castri *Hadermarsperch*, 13. Calen. Decembr. An. Dn. 1247. Indict. 6.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. *Lamperti* in *Sevven* ordinis Sancti *Benedicti* *Salzburg.* Diæcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alia indulta vobis & Monasterio vestro concessa, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem fructus, redditus & prouentus, prædia, domos, terras, possessiones aliaque mobilia & immobilia bona, ad dictum Monasterium legitime spectantia, nec non omnes Ecclesias, & alia perpetua beneficia Ecclesiastica, quæ cum omnibus iuribus & pertinentiis suis eidem Monasterio canonicè vnita, annexa & incorporata fore asseritur, sicut ea omnia iuste & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Rome* apud S. *Petrum*, Anno incarnat. Dominic. 1496. XIV. Calen. Nouembr. Pontificatus nostri anno quinto.

Ilius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. *Lamperti* in *Sevven*, ordinis S. *Benedicti* *Salzburgen.* Diæcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum & honestum est, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum in quo diuino estis obsequio mancipati, sub B. *Petri* protectione suscipimus, atque nostra; omnes quoque libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias indulgentias vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas. Specialiter autem fructus, redditus, & prouentus, prædia, domos, terras, possessiones, casalia, grangias, aliaque mobilia & immobilia bona ad dictum Monasterium legitime spectantia, nec non omnes Ecclesias & alia beneficia perpetua Ecclesiastica, quæ cum omnibus iuribus & pertinentiis eidem Monasterio canonicè vnita,
annexa

annexa & incorporata fore asseritis, sicut ea omnia iuste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis & communicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Roma apud S. Petrum, a. n. incarnationis Dominicae 1503. VII. Idus Nouembr. Pontificatus nostri anno secundo.

Wir Ludwig von Gottes gnaden Römischer Kayser ze allen zeiten Wehrer des Reichs. Bekennen öffentlich mit diesem Brieff, das wir den Erbarn geistlichen Mannen/dem Abte vnnnd dem Conuent ze Sewen die besonder genad geihen haben / das wir wollen / das fürbas niemand kainerley Erbrechte auff kein sbe Vogtey / Guet oder Debar nicht ziehe / inn kein weis / er hab sein dann von den vorgenanten / dem Abte vnnnd Conuent ze Sewen Brieff vnnnd gut Bekund. Vnd dauon wöls sen vnd gebieten wir allen vnsern Amptleuten / Disdumb vnd Richtern / vnd allen andern / wie die genandt sein / die jeso sind / oder fürbas werden / das sie den vorgenanten Abte vnd den Conuent vff disen vnser genad schirmen / vnd nicht gestatten / das in die fürbas vor jemand verfaru werde. bey vnsern Hulden. Der Brieff ist geben ze München / an Sant Johannis tag / nach Christus geburt dreyzehnhundert Jahr / darnach in dem ain vnd vierzigsten Jahr / in dem sibben vnnnd zwanzigsten Jahr vnseres Reichs / vnd in dem dreyzehenden des Kayserthumbs.

Catalogus Abbatum Monasterij Seppen.

- I. ADALBERTVS, vocatus an. 694. rexit annos 7. obiit autem 16. Calen. April. an. M. I.
- II. SIBOTO.
- III. KADALHO, siue Kadalthoras.
- IV. GAMANOLDVS siue Gaminolphus.
- V. HARTNIDVS.
- VI. ENGILBERTVS.
- VII. GEROLDVS.
- VIII. EBERHARDVS.
- IX. RVDOLPHVS.
- X. GERARDVS.
- XI. GVNTHERVS.
- XII. GVNTHERVS II. cl. circa an. 1102. vixit adhuc an. 1139.
- XIII. HAVMO, praefuit circ. an. 1147.
- XIV. ALBERTVS, inchoator, vt auguror, obliarum; bonus oeconomus, dedit praedia in *Stepach*, nunc forte *Schefach*, *Alpach*, *Rudemarsheim*.
- XV. VDALRICVS.
- XVI. ALBANVS, fuit in solempni Capitulo apud *Lauffen* habitus, sub *Adalberto* huius nominis secundo Archiepiscopo *Salisburgen*. sub 17. Calen. Decembr. An. 1195.
- XVII. VDALRICVS II. nobilis de *Parterhausen*, elig. circa an. Dn. 1238. unanimi fratrum consensu in Abbatem, pius & religiosus praefuit & profuit utilissime 20. annis. Postulatur deinde a *Tegernseensibus* an. 1248. & restituit ibidem Monasterium, & impetrat Privilegium a *Fridrico* Duce *Austriae* An. 1252. super exemptionem teloneorum, obiit tandem cum rexit ibidem an. 13. An. Dn. 1263. Id. Iunij.

Metrop. Salisb. Tom. III.

- XVIII. DIETRICVS bon⁹ & pius Abbas, ob. an. 1280. vel seq. 11. Non Octob.
 XIX. HENRICVS optimus defensor & auctor bonorū Monasterij fuit, vii
 priuilegia, diplomata, & literæ commissoriales summorum Pontificum
 indicant, ob. an. 1303. 11. Id. Martij.
 XX. PETRVS successit an. 1303. rexit 8. annos ob. Calen. Iulij an. 1311.
 XXI. DIETRICVS, eo quo intercessor suus inter homines esse desit, elig.
 præfuit an. 7. ob. an. 1318.
 XXII. HENRICVS II, electus an. 1319. tenuit regimen Abbatia^e an. 30. ob. an.
 1348. 18. Calen. April.
 XXIII. RVPERTVS el. an. 1348. vel seq. rexit an. --- ob. an. --- 8. Cal. Augusti.
 XXIV. CONRADVS dictus *Schalner*, ob. an. 1374. 4. Non. April. sepultus in
 ambitu ante Capellam D. Virginis. Ipse & fratres eius dederunt prædium
 in *Sind. Sund. vel Schmidhaim*.
 XXV. PETRVS II. dictus *Khienperger*, ob. an. --- Cal. Aug.
 XXVI. FRIDERICVS.
 XXVII. SIMON dictus *Sarcher* vltim⁹ baculat⁹ Abbas: vir omnimodo Mona-
 sterio vtilis, el. an. 1385. vel circ. rexit an. 36. vel 37. ob. an. 1412. 13. Cal. Febr.
 XXVIII. ERHARDVS Abbas primus pontificali decorat⁹ mitra, annulo &c.
 rexit summa cum laude annos 27. ob. an. 1438. in die S. *Barbara* Virginis &
 martyris, multum laborauit pro Ecclesia *Obing*.
 XXIX. GVILIELMVS, verus amicus & zelator Monachorum, præfuit an.
 4. ob. an. 1442. 4. Non. April. in die S. *Ambrosij*. sepultus in Capitulo.
 XXX. IOANNES dictus *Heuppel*, professus huius monasterij, vir singularis
 auctoritatis: bonus Oeconomus, vocatus ad Abbatia^e regimen ab Ecclesia
Obingen. an. salutis 1442. rexit an. 34. ob. an. 1476. in die SS. *Tiburtij & Vale-*
riani, sepultus ante Baptisterium in medio Ecclesia^e.
 XXXI. BALTHASAR electus an. 1476. præfuit an. 4. decessit an. 1680. 7.
 Cal. Septembr. primus qui potestatem benedicendi calices & patenas ob-
 tinuit.
 XXXII. ERHARDVS el. an. 1480. ob. anno regim. 9. an. videlicet 1489.
 Non. Nouembr.
 XXXIII. BALTHASARVS II. el. an. 1490. rexit an. 2. inter viuos desit
 an. 1492. Non. Iulij.
 XXXIV. FRANCISCVS accepit Abbatia^e regimen anno quo obiit antecessor,
 rexit an. 29. ob. an. 1521. in die Epiphania^e, sepultus in Capella S. *Bar-*
bara Virginis & martyr.
 XXXV. HIERONYMVS post *Franciscum* fit Abbas cum magno Monasterij
 detrimento, præf. an. 8. ob. an. 1529. 9. Calen. Septembr.
 XXXVI. GEORGIVS dictus *Nainhauser*, nobilis, amoto *Hieronymo* surroga-
 tur an. 1529. rexit an. 4. ob. an. 1533. septima die Octobr. sepultus in me-
 ridionali plaga templi, iuxta altare S. *Ioannis* Apostoli & Euange-
 listæ.
 XXXVII. MARTINVS, rexit ann. ferè 25. ob. an. 1549. Id. Iulij, sepultus
 ante altare S. *Dorothea*.
 XXXVIII. HENRICVS III. dictus *Hunger*, bonus paterfamilias: sub eo totum
 monasterium, infirmario excepto igne periit, 18. April. an. 1561. quod tã-
 men in breui restaurauit, rexit an. 29. ob. an. 1569. 9. Idus Iul. sepultus in
 ingressu secundæ portæ templi, sine Epitaphio.
 XXXIX. WOLFGANGVS dictus *Finauwer de Finsingen, Bauarus*, professus
 huius Monasterij, parochus in *Lauterbach*, resignante *Heinrico* fit Abbas,
 homo

homoplus æquo auarior, rexit an. 6. & tandem propter indiscretam Oeconomiam exauctoratus, & in Monasterium *Tegernsee* detrusus, ibi finē viuendi fecit, An. 1581. vel seq. ibique sepulturam meruit.

XL. MARTINVS II. Hunc alterum non immeritò monasterij dixeris fundatorem, propter ingenia extructa opificia & beneficia, q̄ enumerare longum foret. Professus in *Tegernsee* postulatus & electus an. 1576. die 25. Februarij: eodemq; anno 30. die Martij *Salisburgi* confirmatus est, & sequenti die Dominica *Latate* benedictus, post 14. tandem regiminis sui annos de Deo & hominib. optimè meritus, an. 1590. prid. Cal. Mart. obiit.

XLI. PAVLVS dictus *Mānazeder*, ex inferiori *Seon* oriundus, professus huius Monasterij, liberalium artium Baccalaureus, cum solemnī & publico totius Conuentus & principū Metropolis *Salisburg.* & *Boiorum* virorum grauissimorum consensu, iuxta monasterij Priuilegia p̄ liberam electionē in Abbatem sufficitur, & proclamatur an. 1590. V. Calen. April. confirmatus *Salisburgi* eodem anno. Vir Deum vero p̄ctore amans, suis fidus ac gratus; exemplar multorum, & egeni cētus benignus pater. In humanis esse desit die 16. mensis Octobr. cum pr̄fuisset annis 12. mens. 6. diebus 18. an. 1602. non sine luctu & m̄ore suorum, sepultus iuxta antecessorem suum.

XLII. BENEDICTVS, dictus ante professionem *Georgius Fischer*, de *Pl̄woldung*, professor, presbyter & Prior in *Pauli* defuncti locum canonicè iuxta Monasterij priuilegia per Conuentus liberam electionem ipso festo *S. Chrysogoni* an. 1602. sufficitur, confirmatusque fuit anno sequenti, die 2. Ianuarij, rexit annos 6. m. 5. d. 19. migrat ad Christum an. 1609. d. 14. Maij.

XLIII. SIGISMVNDVS *Dullinger* de *Lauffen, Salisburgen.* Diæcesis eligitur an. 1619. die *S. Ioanni Baptistæ* sacro, confirmatur eod. anno, die 28. Iulij, ac hodie adhuc feliciter pr̄est.

STEINGADEN.

Velpho Dux Spoleti, Lycationū & Ambronum Tetrarcha seu Comes, frater Hainrici Bauariæ & Saxoniz Ducis, Monasterium Steingaden ordinis Præmonstratē. iuxta Lycum pro Præmonstratensibus Monachis construxit, Anno Domini 1147. Vbi ipsius, necnon filij sui Welphonis, qui ante patrem. Anno 1169. obiit, mausæola ostenduntur, ipse pater post magnam prodigalitatem, cum liberis careret, conuersus ad se, in summa pietate vitam finiuit, Anno Dñi 1191. De quibus vide latius Iohan. Auent. in Annalib. suis. lib. 6. fol. 620. 644. 656. De fundatione huius Monasterij extat confirmatio Philippi Roman. Regis, de Anno 1201. & Friderici secundi Imper. de Anno 1220. sequentis tenoris.

In nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS, Philippus secundus, diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus, diuinæ remuneracionis & æquitatis intuitu Ecclesiis, à progenitoribus nostris fundatis, non solum tradita beneficia conseruare tenemur, verum etiam de concessis nobis à DEO aliqua eis foeliciter erogare, & circa tranquillitatem ipsorum & augmentum, operam efficacem & curam adhibere diligentem. Ea propter omnibus Christi fidelibus, tam posteris quam modernis, notum esse volumus; Quod nos animaduertentes diuinæ religionis cultum, & honestam fratrum conuersationem Monasterij Steingadensis, quod fundauit prædilectus Auunculus noster, incly-